



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





Συὸ Ὁσῶ
DISPUTATIONUM
ETHICARUM
IX.

De

IUSTITIA.

*In Inclytà VVittebergensi Academia
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Col. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

GEORGIO-FRIDERICO ROSA
Onoldino.

VVITTEBERGÆ

Ex Officina Johan. Gormani, Anno 1611.



us sele
virtu-
quan-
& exi-
summa
propri-
atim, /
uro gra-
nola-
verlum.
t offen-
cum ho-
ugnans.
r: quod

nicè spe-
inectio-
ibus de-
ferendū
ni illu-
erit ho-
cularis,
e. Certe,
ac ferend-
nda,

LAUM

s,

Alum. Elec.



FUSILLIA

FUSILLIA

NICOLAUS LINNÆUS

Handwritten text in a cursive script, likely Latin, covering the lower half of the page. The text is faint and difficult to decipher due to fading and bleed-through from the reverse side.

du
mi
vi
te
un
m
2
to
d
3
ag





Σὺν Θεῷ.

De

IUSTITIA.

I.

Justitia est habitus, quo idonei sumus ad volendum, & agendum ea, qua legibus sunt conformia.

I.



IUS, & justitia censentur *παράνομα*; unde in frontispicio statim quaestio movetur, *utrum ab altero derivetur?* Respon. Duo consideranda; vox significans, & res significata. In derivationibus nominum usu venire solet, ut derivatum à primitivo nominaliter, hoc vicissim ab illo realiter descendat: quemadmodum ab humanitate, rem si spectes, homo; at si vocem, ab homine humanitas deducitur. Sic nomen *justitiae* à nomine *Ius*, non vicissim, descendit: Re autem convenit justitia cum jure. *Antecedenter*, prout legislatoris bonitas, integritas, & constans suum cuiq; tribuendi voluntas subditos secundum justitiae normam vivere postulant; unde jus postmodum, ac leges existunt.

2. *Essentialiter*. Atque sic justitia est ipsum jus, quatenus legislatoris justitia est constans ipsius voluntas, hoc, & non alio modo agendi: at, quid aliud *νομοθέτης* voluntas, atq; lex, sive jus?

3. *Consequenter*: Effectus videlicet juris; dum secundum leges agendo & justitiae habitum quis sibi comparat, ipsamq; justitiam exer-

A 2

am exer,

am exercet: primo modo jus à justitia; secundo neutrum ab al-
tero; tertio justitiam à iure descendere liquet.

II. Definitionem positam sic exprimit *Aristot.* 5. *Eth.* 1. *δικαιο-
σύνη* ἐστὶν ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσι, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπρα-
γῆσι, καὶ βέλονται τὰ δίκαια. Genus subintellectum est ἕξις, vel,
si mavis ἀρετὴ. Ubi non parum dubij: *constituatne justitia peculia-
rem virtutis speciem; an potius sit generalis quidam omnium virtutum
complexus?* Inicidò autem distinguenda videtur justitiæ appellatio;
quandoq; enim generaliter omnem moralem virtutem com-
prehendit, versans περὶ ἅπαντα, περὶ ὅσα ὁ σωδῶν. *lib.* 5. *Nicom.*
4. unde proverbium ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδω πᾶσ' ἀρετῇ ἔ-
στ' à Philosopho notatum 5. *Eth.* 3. qualiter justè in seipsum agit,
qui temperanter; justè in hostem, qui fortiter; justè tum in se,
tum alios, qui modestè &c. Injustè contra, qui aut scutum abji-
cit ob ignaviam, aut aliquem ob acerbitate maledictis insecta-
tur, aut ob avaritiam pecunijs non juvat. 5. *Eth.* 4. Eaq; justitia
νόμιμος legitima καὶ ἰσὺς, universalis appellatur; nec quidquā
est præter generalem legis observationem, adeoq; nec speciem
virtutis constituit, quin omnium potius est coacervatio, atque
complexus. Aliàs, cum specialibus justitiæ terminus capitur,
quatenus juxta leges in contractibus, & commutationibus; præ-
miorum item, ac pœnarum distributionibus & justè versari do-
cet, cœterisq; virtutibus contradistinguitur, virtutis novam
speciem efficit, quòd nec eadem præcipiat justitia, quæ virtutes
cœteræ, sed multum diversa; & mediocritas quæpiam sit inter
plus & minus, tanquā excessum, & defectum medium obtinens.

III. Porro; justitiā idonei sumus ad agendum, & volendum justa.
Idonei: dum non modò per vitia opposita, aut affectus odij, a-
moris, atq; similia obstacula non impedimur, quò minus se-
cundum virtutem operemur, verùm etiam voluntate prona,
promptaq; & ardenti justitiæ amore ad justas actiones ferimur,
& ceurapimur. Deinde; ut omnes virtutes virtuosa & ope-
ratur, & approbant, sic & justitia vult justa, dum quis non agrè
fert, justè iscum agi, etsi ex re & commodo suo id minimè fue-
rit. Agit verò eadem ἐκ σίως, καὶ ἐκ προαιρέσεως. Nam aliud
prorsus est justa & justè agere. Illud etiam in iniquissimum ca-
dit (quale Cambyfis factum, iniqui judicis excoriati pelle tri-

bunal obducentis, quo successores justitiæ and monerentur) hoc non item, utpote ad quod omnia ea, quæ supra vidimus, actio-
num principia, quin ipse habitus, ut causa requiritur. Denique
justa vult, agitq; justitia. Justum quidnam sit, leges definiunt,
h. e. quidquid legibus est consonum, de quo mox plura.

II.

Justitia duplex est, universalis, & particularis.

*Universalis est cujuscunq; legis observatio ad
commodum Reipubl.*

I. Hæc justitiæ divisio non tam est generis in species, aut toti-
us in partes, quàm *ὁμωνύμω* in sua significata distributio. Nam
hæc, quam universalem appellat, admodum improprie virtus
est, ut in præcedentibus dictum; sed magis virtutum quæpiam
congeries, atq; confluxus, & sic virtus per accidens.

II. Quia verò particularem justiciam *κρυπτῶς* sic dictam sub se
partis instar complectitur, quæ & ipsa in legum observatiâ plu-
rimùm occupatur, considerandum hic, quas, qualesve leges ju-
stitia observandas præcipiat. Eas v. uno nomine *divinas* oportet
esse, quamvis diversimodè à Deo latæ fuerint. I. *Immediatè* atque
has rursus dupliciter; legislatione seu scriptione in tabulas, & in-
scriptione in corda. Prioris generis leges strictè sumto termi-
no *divinas* appellitât; in tres potissimùm distinctas classes; ut aliæ
sint morales; aliæ forenses; Leviticæ tandè, seu ceremoniales a-
liæ: quarû illæ perpetuæ sunt, ac immutabiles, prout perpetua est
& immutabilis divina justitiâ; istæ cõtinentes, ut pro cõsilio ac
beneplacito magistratus, & conditione cujusvis Reipubl. vel re-
duci, & observari, vel negligi salva pietate possint. Sed hæc alibi.

III. Quæ inscriptione in corda sanxit Deus *jus, seu lex natura* di-
citur; eaq; definiuntur, quam natura omnia animantia docuit: id,
quod divisè intelligendû; hoc sensu: quam natura unumquodq;
animal docuit. Atq; hæc rursus in generalem, & specialè sese dif-
fundit; Illa, qua aut omniû, aut plarorumq; animantiû; utpote,
vim vi repellere, sui destructionè fugere, speciè sobolis procre-
atione conservare, & quæ similia. Hæc, quæ cuius animantium
speciei propriam, & peculiarem natura in sevit, ut in formicis,
apibus, gruibus, &c. videre licet.

A 3

IV. Por-

IV. Porro; naturæ jus homini proprium duobus absolvitur capitibus; uno divinum concernente cultum, altero conversationem cum proximo dirigente; atq; hoc rursus in tria præcepta, ceu partes sese diffundit; quorum 1. *honestè vivere*; seu non committere ea, quæ ipsa natura averfatur, ut sunt incestus, commixtio cum brutis &c. 2. *Alterum non lædere*: quod non vim qua vis præter meritum illata repellitur, aut commissa scelera legitimè puniuntur, prohibetur; sed ea saltem, qua præter causam, aut certè præter constitutum ordinem quispiam famâ, fortunâ, corpore læditur. 3. *Suum cuiq; tribuere*; honores puta, præmia, pœnas. *Suum*; non tantùm possessionis ratione, sed & utilitatis. Ideò furioso non dandus is, quem jure possidet, gladius; etsi enim ipsi debeatur, nihilominus in hoc statu non debetur. Quæ omnia, quamvis in brutis etiam qualitercunque sese exerant; id tamen ἀναλόγως saltem, & per qualemcunq; comparationem fieri cernitur. Atq; ijs ante omnia parendum, hac virtute jubente, tanquam primo cæterarum legum omnium fundamento, fonti & scaturigini, unde quotquot humanitus latæ fuerunt, promanârunt, ut, si quæ lex hisce feratur repugnans, huic tanquam non legi minimè parendû; at ubi parueris, injustus haberi cùm possis, tùm debeas: tali namq; obediendo, naturalem violasse oportet, quæ tamen prima observari debuit.

V. Jus naturæ fixum est, & immutabile: non ratione hujus, aut illius individui, sed totius, atq; integræ speciei: &, quemadmodû infrequens non est, naturalia quæ sunt, in hac vel illa persona ex accidente aliter atq; aliter se habere; ita jus naturæ in his, aut illis personis per pravam educationem, aut modos quoscunque alios in tantum obscuratur, ut prorsus ablatum atq; extinctum videatur: cujus rei exempla Nero, aliq; omnem ferme humanitatis sensum exuentes præbent. Interim in tota specie integritatem suam planè immotam retinet: quo sensu *Aristoteles* 5. *Ethic.* 10. πᾶν τὸ φυσικὸν ἀκίνητον appellat, non tamen aliter, atq; dextra manus naturâ potior est; quamvis contingeret, ut omnes essent ἀμφιδέξιοι; ut pluribus hanc rem explicat *Philosophus d. l.* Deinde; apud omnes gentes naturæ jus obtinet, quod

quod tamen varijs postmodum atque diversis, ex cujusvis rei-
publicæ usu, & consuetudine desumptis limitibus circumscribi-
tur; ut quidem sciant omnes, honestè vivendum, quomodo au-
tem quibusve modis, atque conditionibus; id verò leges, &
constitutiones speciales variè mutabiles præscribunt; ac pro-
inde ratione determinationis suæ mutari naturæ legem, conce-
ditur; ratione sui ipsius haud item.

VI. Ex lege naturali immediatè propullulasse videtur *ius*, quod
vocât, *gentium*, quod omnes gentes natura, & recta ratio docuit.
Atque hoc generali titulo à *Philosopho* s. *Nicom.* 10. inter species
τῆ πολιτικῆ numerari arbitror, idq; ex definitione colligi vi-
detur; qua *τὸ πανταχῆ τὴ αὐτῶ ἐχον δυνάμει* describit.

VII. 2. Mediatè sancitur jus quod ideò, quia in leges scriptas
relatum est, *legitimam* appellatur; & cum lege politicâ latè di-
ctâ coincidit; illæ videlicet leges, quas ex jure naturæ aut rati-
one probabili civilis magistratus pro Reipubl. gubernatione in
suo territorio observandas constituit, Atque hoc aliàs in civile
(strictè sumto termino) dividitur, & domesticum. Civile rur-
sus vel capitur pro solis Romani Imperij constitutionibus;
vel latius, quatenus speciales cujusvis ditionis, ac provinciæ
leges significat. Obligat hæc lex, quippe divina ad obedien-
dum si à magistratu legitimo legitimè lata fuerit. *A Magistratu*
Legitimo. Est verò talis, qui per successionem, electionem aut
bellicam coactionem imperium obtinuit; sive jam tyrannum
agat, & *δισκολον* se præbeat; sive mitem atque benignum. *Le-*
gitimè. ὁ θεός μὲν γὰρ νόμος ὁ κείμενος ὁ θεός. s. *Ethic.* 3. Ut au-
tem feratur legitimè; faciem, oportet, præferat lex tum naturæ,
tum divinitus promulgata: idcirco ab his deficiens legitimè
sancita non censetur; cui vel hac ipsa de causa nulla necessitate
ulla præstatur obedientia. Obtemperandum enim magistratui,
ad aram usque, non ultrà, exemplo Apostolorum *Act.* 4. v. 19.
cap. 5. v. 29. & *Servorum Saulis* 1. *Sam.* 22. v. 17. impia mandata
contemnentium. Similiter sancitur illegitimè & ea, quæ pro-
ximum & Remp. præter rem, & culpam lædit: Quapropter mi-
nus justè egerunt, qui mandato Neronis obsecundando Romæ
ignem subjecere nõ injustè contra, qui Saulem Regem ad ipsius
jussura

justum necare renuit. I. *Sum. ult.* Legitimæ verò leges legitimè sancitæ obligant ad parendum etiam in conscientia, indirectim, quatenus magistratui resistere est Dei ordinationi resistere. *Rom. 13. v. 2.* haut aliter, ac qui Legato, quâ tali præcipienti ea quorum causa fuit à principali missus, contemnit, et si indirectim, eum, à quo missus fuerat.

VIII. Patet ex dictis, *τὸ δίκαιόν* seu æquitatem à justitiâ multum differre. Justus à rigore legum exigit; æquitas benignè jus explicat, ne tamen in fraudem alterius hæc cedat interpretatio. Justitia est νόμιμος: νόμιμα verò sunt τὰ διαγενομένα κατὰ τὴν νόμον. *Arist. 5. Ethic. 3.* τὸ δίκαιόν ἐστὶν ἰσότης; in quibus lex per universalitatem suam deficit; qua fit, ut de omnibus, atq; singulis nulla ferri lex possit. *5. Nicom. 4.* Jus de facto ipso præcipit; æquitas casus speciales moderatur, & in circumstantijs occupatur, juxta quas vel maximè decreta oportet institui; quæ quoties non attenduntur, summum jus fit summa injuria. Præterea, æquitas arbitraria est, justitia legibus circumscripta. Æquitatem denique quivis judex liberè exercet; justitiam verò secundum normam legum.

III.

Justitia particularis est virtus in commutando, ac distribuendo aequalitatem servans, ut suum cuiq; tribuatur.

Cujus duæ sunt species; commutativa, & distributiva.

Commutativa in contractibus & bonorum permutatione aequalitatem servat.

I. Particularis justitia speciem ab alijs virtutibus distinctam constituit; ut antè dictum: atque iccirco ab universali omnes virtutes complexa distinguitur; & duo comprehendit capita;

pro

pro actionum justiciâ dirigendarum duplicitate; ut unum in contractibus, sive bonorum permutatione; alterum in opum, præmiorum, & pœnarum æquali distributione occupetur. Quapropter distincta utriusque consideratio rem omnem expediet. II. Ante omnia verò in dubium vocant: quid verò? imò profus *exterminatam capiunt hanc virtutem Anabaptista*, omnem permutationem (inter ejusdem Religionis homines) emtionem, & venditionem, negotiationem, seu mercaturam tanquam nomine Christiano indignam damnantes. Sed salva res est. 1. Nusquam à Deo damnatam novimus. 2. Parabolam à mercaturâ desumit Salvator, *Matth. 13. v. 44.* à rebus verò illicitis nusquam parabolas desumptas novimus. 3. Bona vendere jubet idem *Matth. 19. v. 21.* 4. Et Paulus commercia non vetat; quia potius à fraudibus libera esse jubens haud obscure approbat. *1. Thessal. 4. v. 6.*

III. Commutatio in contractibus versatur, qui vel commutant opes cum opibus; vel opes cum officio. Utraq; ut justa sit, tanquam norma dirigit *ἀναλογία* seu proportio; tùm *ἰσομετρίκη*, tùm *ἀριθμητική*; utramq; exactè observandam præcipit justitia. *Arithmetica* quidem personam cum persona confert, ijsq; sive dignitate, merito, potentiâ &c. variant, utitur *ὡς ἰσοίς*. *Nicom. 7.* nec unam alteri præfert, ne in *προσωποληψίας* vitium incidat. *Geometrica* proportio rem cum re comparat, aut rem cum re, & officio; aut denique rem cum officio: generatim rem quamque non ex quantitate, sed caritate æstimat, & dignitate, seu, ut *Aristoteles* ait; ex comparatione cum *νομίσματι*, *ὁ γίνεσθαι μέτρον; πάντα γὰρ μετρεῖ*, *5. Ethic. 8.* facit namque nummus omnia *σύμμετρα*. *Ibid.*

IV. Cùm res confertur cum re serverur 1. *Æqualitas utriusq; rei non quantitatis, sed caritatis & dignitatis.* Ut ligna emturus non tenearis tantam auri quantitatem expendere, quanta est lignorum, hic enim ut justitia æqualitatem faciat, lignum, quantum ab auro superatur æstimatione, seu dignitate, tantum vicissim superare debet aurum quantitate; ut defectum dignitatis expleat copia. 2. *Si res commutanda fuerunt inæqualis dignitatis tantum super addatur pretij rei viliori, quantum exceditur à digniore:* Etenim; si

B

per

per detractionem a re cariore, ejusdemq; additionem ad rem vilio- rem æqualis res utraq; fieret, unus multum lucraretur, al- ter sensibile damnum pateretur. E. g. Quando Cajo vas vini cum Sempronij frumento permutare constitutum est; valeat autem frumentum 100 flor. vinum 60. iniquissimum foret, si iudex utrumq; precium conjungat, idq; ex æquo dividat; ut unicuiq; 80. cedant, & consequenter Sempronius Cajo ultra vinum nume- ret 20. flor. Annon enim Sempronius qui 100 flor. attulerat; 80. saltem auferendo 20. fraudaretur; Cajo qui 60. in mediū posu- erat 80. recipiens 20. lucraretur? quod minimè omnium æqua- le. Quin ergò majori non demendo, sed minori addendo ad æ- qualitatem hæc permutatio reduci poterit; ut Sempronio Ca- jus 40. flor. numerare teneatur: Sic enim Cajo vinum cum flor. 40. additis tanti erit valoris, quanti frumentum Sempronij.

V. Atq; hoc non iudicis modò est, sed cujusvis contrahentis; quem decet, nò sibi saltem prospicere, ne fraus vilis, & cassa pro utilibus, & solidis obtrudat; verùm etiam, ne alterum vitiosæ mercis oblatione decipiat. Nisi ergò vitium rei venditæ indi- carit emtori venditor, proportionem geometricam non obser- vat, malas, corruptas, & nullius precij merces protrudens, com- pensationem econtrà prorsus imparem acceptans.

VI. *Rem cum re, & officio comparat*, quando res commutantur, opes expenduntur, merces venduntur non solæ, sed cum labore aut alio officio. Atq; hujus isthæc regula: *Precium non rei saltem, sed officij etiam dignitati respondeat.* Non quemvis laborem intel- ligo, sed necessitate quapiam ipsi rei impensum. Si namq; cir- cumforaneus merces per annū integrum hinc inde circūgesta- rit; cum easdē intra mensem huc perferre potuisset, nò est, quod ego merces istas emens integri simul anni labores recõpensem; sufficit, si unius mensis. Patet v. hinc; justum esse, carius à mer- catoribus divendi merces, atq; ab iisdem fuerant emtæ. Quis nò è distitis locis, Indià, Hispania &c. merces adveheret, si pro labo- re, varijsq; periculis nihil expectari retributionis posset? Cæterū æstimatur officium ex arte; ex duratione, ex adjuncto periculo, ex molestiâ & gravitate; quæ, sive jungantur omnia; sive accedant singula, pro sui intensione, ac remissione pluris, minorisve vendi- jus, ipsaq; postulat æquitas.

VI I,

VII. Sub idem commutationis genus cadit USURA quæ multis partim suo merito; partim præter rem, ac meritum exola; ut non contemnenda sit quæstio? liceatne salva pietate, ac honestate homini Christiano ultra sortem, ac summam alteri commodatam, quicquam exigere? Ut quæ damnanda quæ probanda pateat; statum initio formabimus. Sunt a. distinctæ quæstiones; anne quidpiam exigere ultra sortem liceat? & quantum liceat? Posterius hoc partim ejusvis loci consuetudo ac personæ conditio definit, partim hæc determinat regula; *ne faciatur usura ad oppressionem proximi*. Rejicimus proinde à quæstionis statu quantitatem usuræ; hoc enim præsuppositum esto; omnem usuram, quæ damnum dat alteri, illicitam esse, detestandam, & septimo Decalogi præcepto divinitus prohibitam. Prius ergo in dubio; quicquamne accipere licet; Deinde; aliud est voluntaria retributio, aliud juris exactio. Quæstio non est; utrum creditori liberum sit pro præstito mutationis officio quidpiam à debitore sponte oblatum acceptare? id quod extra omne dubium; verum; *possitne creditor jure propter mutationis officium quidpiam à debitore postulare, atque exigere ultra id quod mutuo dederat?* Qui status controversiæ verus, & legitimus.

IX. Circa hujus decisionem personæ habenda ratio; quæ duplex; creditor, & debitor. In creditore videndum; utrum hæc, quæ expendit, pecunia, ipsi sit *necessaria*; ut eam citra sensibile damnum alteri committere nequeat; *an utilis*, sine qua res familiaris sensibilibiter non decrescit; cum qua a. & per quam augescere posset: *an lucrosa*; qua res œconomica non augetur in necessarijs, sed saltem in superfluis: *an denique ociosa*; quæ nihil operatur, sed domi quiescit; ut neque necessitati, nec usui nec lucro de præsentate serviat. In debitore similiter consideranda; sitne pecunia ipsi *necessaria*; dum vel universæ rei familiaris meruitur dispendium, vel creditoribus urgentibus solvenda debita, aut gravius quoddam malum impendet: *an utilis*; dum hortos, agros, aut similia emere constituit; nec tantum in promptu, quantum pro emptione sufficit; alius mutuando pecunias tuæ utilitati consulit: *an denique lucrosa*; cujus sunt generis mercatores, nummularij, quive varios lucrandi modos compertos habent, hi ut lucrentur, mutantur; nullius pecuniæ ullam ad rem indigi,

B 2

IX. Cui

IX. Cui *Necessaria* est sua pecunia, aut mutuatur eam tali qui 1. vel ad necessitatem, 2. vel utilitatem, 3. vel lucrum eandem postulat. Si *primo* non video, qua ratione debitor non teneatur creditori usuras numerare: cum hic non minus per defectum pecuniæ de sua periclitetur œconomia, ac ille; hic in periculum sese conjiciat; suisq; nummis alterum inde redimat. Hoc certe foret sic erogare, ut alteri esset relaxatio; nobis autem angustia; hoc esset sui, suorumq; non meminisse: utrumque caritati Christianæ, quæ à seipsa incipit, adversum. 2. *Cor. 8. v. 13. 1. Tim. 5. v. 8.* Si verò secundo, & tertio; quod tamen vix fieri arbitror, cum nemo, (nisi mente captus) sibi necesse alteri tantopere non indigenti spontè offerat, aut etiam petenti accommodet; nec alium ab ejusmodi Codro quicquam petiturum arbitror, nullum apud quenquam dubium enasci posse videtur; quò minus creditor pro periculo satisfaciat, & damnum in quod aliò transferendo pecunias conjicitur, usura quapiam satisfaciat.

X. Cui bona sua *utilia*, itidem accommodat illa, cui vel sunt 1. necessitati, 2. usui, 3. aut lucro. Si *primo*: v. c. cum quis proprijs bonis emtione agrorum, fundorum; hortorum &c. sibi, suisq; prodesse posset; rogatus verò ab alio non sine magni mali periculo pecunijs indigo, eidem mutuò exponat; ibi verò salva *charitate Christiana* & æquitate nil petere usurarum potest; est enim talis accommodatio alteri relaxatio: nec tamen tibi tribulatio; quin etiam nihil hac re proficeret alter, sed magis magisq; deficeret. Etenim; si v. c. debeat Titius 100. flor. Sempromio; hic vel debitum reddere, aut omnium bonorum suorum auctorem facere jubet, vel etiam cogit: quo malo ut is liberetur, petit abs te 100. flor. tunc mox elapso anno aggravatum fuisset, ac sensibilibiter adauctum debitum, ut cum antè 100. nunc 105. aut 106. deberet, quod esset pauperem opprimere, nò juvare.

XI. Sin autem *secundo*; h. e. tali, qui pecunijs in re familiari augenda utilibus, non necessarijs utitur certam summam pendat, postulat ipsa æquitas aliquid rependere: Quid enim; si Cajus acceptis à Titio 100. flor. agrum emat, quotannis fructus reddentem 20. flor. Caij fors accresceret, Titj attenuaretur. Quid verò; si Titius ijsdem nummis, & quidem proprijs eundem agrum

grum sibi emisset? sibi quotannis 20. flor. commendasset: quod
lucrum universum in alterum confert. Ne igitur suorum, & sui-
ipsum oblitus videatur, non potest non certam usuram à debitore
exigere. Certè haud aliter hæc res mihi cõparata videtur; ac si
tu agrum mihi elocasses tuum, ego eundem colerem, & fructus
colligerem. Hic sanè ipsa dicitur ratio, fructum agri bonam
partem ad te spectare, & jure quidem; quantumvis pro labore
aliquid debeatur & mihi; & forem ego iniquissimus, si nullam
tui ratione habitam solus commodis agri frui vellem. Ita quoque
Sempronius expendit pecunias; Cajus ijs utendo, & ceterum nego-
tando fructum colligit, quem, ut cum Sempronio dividat, æ-
quum est. Porro: si tertio; cui lucro sunt mutuò acceptæ opes;
itidem, imò multò magis, usuras flagitabit. Certè; si negotia-
tor, aut nummularius abs me 100. thal. accipiat; ijsq; negotian-
do excoquat quotannis triginta, quò tamen lucro ipse non indi-
get, quantæ iniquitatis fuerit, nihil rependere pro compensan-
do commodo, quod haurire exinde potuissem; ad ipsius tamen
petitionem defecit?

XII. Cui bona *lucrosa*, similiter trium dictorum generi quippi-
am mutuatur. A quorum primo (qui pecunijs indiget ut necessa-
riis) ut & secundo (qui indiget tanquam utilibus) nihil salvam ca-
ritate Christianam exigit, imò nec oblatum accipit; dat enim, &
sublevat ex abundantia sua, qua alijs prodest; sibi verò nihil ob-
est. Quin etiam præ oculis habeat istam salvatoris regulam:
mutuum date, nihil inde sperantes Luc. 6. v. 35. ut à tenuiore non usu-
ram modò nullam exigere, sed nec ipsam sortem repetere per
caritatis virtutem debeat. Cui deniq; *ociosa*; vel ociosa sunt de
præsente tantum h. e. jam ipsemet his opus non habet, nec ijs ne-
gotiatur, aut in quemcunq; usum alium conferre constituit; vel
etiam de futuro, dum de præsente nullius sunt usus; sed quò ad
futurum certò sibi polliceri hoc potest, non fore sibi intra resti-
tutionis tempus vel necessitati, vel usui. Quòd si de præsente sint
ociosa, non item de futuro; equidem egenum interea sine usura,
etsi cum aliquo suo incommodo, sublevare prorsus tenerur;
sin locupletiori cõmoder, æquitas postulat, ut is creditorem in-
demnè præstet; quòd cum quàm cõmodissimè usuræ efficiant,
non immeritò easdè pendere censendus erit

IV.

n tali qui.
andem po-
neatur cre-
fectum pe-
dericulum.
Hoc certè
m angustia;
aritati Chri-
Tim. 5. v. 8.
bitror, cum
ri tantopere
commoder;
m arbitror,
ur; quò mi-
in quod aliò
atis faciat.
ui vel sunt i.
quis proprijs
sibi, suisq;
i mali peri-
verò salva
potest; est
men tibi tri-
d magis ma-
lor. Sempro-
rum suorum
ut is libere
gravatum fu-
ntè 100. nunc
re. nò juvare.
familiari au-
nam pendat,
nim; si Cajus
s fructus red-
erur. Quid
s eundem a-
grum



Distributiva justitia in præmiorum, & pœnarum distributione equalitatem servat.

I. Etsi hanc quoq; justitiæ speciem Anabaptistarum factio tanquam à Christianis maximè alienam malitiosè arrodat; nos tamen, utpote qui publica judicia nusquam prohibita; magistratum, (cujus hoc primum & ferè unicum est officium) *Matt. 17. v. 27. cap. 22. v. 21. Rom. 13. v. 1. seq.* haud obscurè probatum; eiq; judiciorum exercitia commendata *Rom. 13. v. 4.* quin & à Paulo ad Cæsaris judicium, atq; tribunal *Act. 25. v. 10. 11.* provocatum novimus; politica judicia; ideoq; pœnarū, ac præmiorum distributionem laudabilem, nec ullo prætextu rejiciendam ducimus.

II. Duo verò cum primis distribuenda se offerunt pro duplici civium, & incolarum genere; quorum aliqui boni sunt, alij mali; his debentur pœnæ, illis præmia; utrumq; virtus hæc moderatur; ne vel nimium tribuatur, vel parum: unde duplex hæc justitia, renumerans, & puniens. Hic autem primæ debentur partes partes proportioni geometricæ, qua comparantur inter se tùm facta propter quæ, tùm pœnæ, atq; præmia, quæ, tùm deniq; personæ, quibus conferri debent.

III. Præmia duplicia sunt: honores & opes. Opum distributio legitima ut sit, hæc poscit requisita. 1. *Vt antecesserit virtutis actio, & meritum.* Quamvis enim usus ferat, vitia nō minus, modò non magis præmijs ornari, quàm virtutes; istamen, cum excessus quidã sit, minimè probandus; à justitiâ utiq; multum deficit, atque aberrat. Eximitur hinc verò illa distributio, quam præcipiunt liberalitas, & magnificentia, & vel in egenos munera confert, vel alia gratuita dona expendit. Siquidem res unicè est de præmiorum distributione, habita ratione meritorum. Jam verò cum præmium è *ἀνὰ γυνή* respondeat merito; tale omninò sit, oportet, quale est & meritū; ut nō congruat, detestandum faciat, aut malū meritū præmio renumerari. Quid? quod si vel opibus, vel honorib. coronarètur vitia, plurimū cives ad eadē sectanda allicerentur, à virtutibus deterrerentur, qua vix quicquam Reipubl. magis extiosum. 2. *Quò excellentior est virtus, tantò præclarior præmium.* Excellentia virtutis in hisce consistit. 1. Si in homine aliquo sit firmata, multisq; exercitijs, & actionibus cō-

probata,

probata. 2. Si fuerit hæreditaria, & per avos, atq; majores propa-
gata, tunc, quia nõ propria saltem virtus nobilitat, sed à majori-
bus quoq; virtutis splendor, ac gloria in posteros redundat, utiq;
talibus qui gaudent majoribus, excellentiore virtute præditi
censentur. 3. Si plus ferat commodi Reipubl. 4. Si fuerit virtus
rarior, difficilior, periculosior.

IV. Itaq; cum fuerint distribuendi mille coronati in Davidem
10000, & Saulem 1000 hostium Philistæorum cædentem, du-
plex instituenda fuerit comparatio: quarum prior comparet vir-
tutem cum virtute, & utriusq; ad alteram ἀναλογίαν conferat;
eãq; habebit taliter: sicut se habet unū ad decem, sic virtus Sau-
lis ad virtutem Davidis. 2. præmiū cum premio; ut ita se habe-
at præmiū Saulis ad præmiū Davidis, sicut virtus & factum il-
lius, ad virtutem, & facta hujus. Comparationem proinde sic
instituo. David cecidit decem millia, Saul mille: juncta con-
ficiūt undecim millia. In partes ergo undecim divido & præmi-
um; emergetque pars quævis $90\frac{1}{11}$ tantū tribuetur Sauli: De-
cies verò plus Davidi; h. e. $909\frac{1}{11}$. Verum; si ulterius æstimãda
virtutis magnitudo ex raritate, periculo, difficultate, etiamnum
plus cedit Davidi, minus Sauli.

V. Pœnarum distributionem similiter non aliunde, quàm ge-
ometricã proportionem æstimandã ducimus. Ubi cõsideranda
factū ipsum. 2. pœna. 1. Factum mereatur pœnam non nisi inhonestum.
Factū aut ratione substantiæ suæ consideratur aut suarū ἐπιπέ-
δων, quæ factum in se honestū turpissimè dehonestat. Si alterutro,
vel etiã utroq; modo vitiosum fuerit, pœnã meretur. 2. Quò fa-
cinus est gravius & inhonestius, tantò debetur pœna gravior.
Aggravatur facinus 1. objecto; quod quò est majus, tantò male-
factū intensius, quantò plus furatus es, tantò furtū tetrius. Multū
autē, an parum abstuleris, nõ saltem ex valore, sed ex cõditione
etiam ejus, cujus bona auferis, judiciū faciendū: Utpote, si diviti
thalerum auferas, vix tantum abstulisti, ac si pauperi grossum.
huic n. tantus est. (si non major grossus, quantus ditiori thale-
rus. 2. Efficiente, pro cujus magnitudine crescit vitium. Me-
retur proinde majorem pœnam vitium aut malefactum, viri
officio præclaro honorati; quàm personæ privatæ: ma-
jorem nobilis, atque ignobilis; maris, ac fœminæ. 3. Effectu.
Btenim

Etenim aliud factū est, manetq; privatum, quod nemini est scā-
dalo, sed in unicujusq; personā in totū conquiescit; aliud, quod
pluribus est scandalo, pluraq; facinora in aliis generat. Quo no-
mine rursus majora, & graviora sunt à personis in publico offi-
cio constitutis commissa; harum enim mores privati, atq; sub-
diti facilè imitātur, id quod his licet, sibi quoq; licere putantes.

VI. 4. Circumstantijs: quales sunt 1. Copulatio cum alijs vi-
tjjs; utpote, cum ex voluntaria, & spontè adscitā ebrietate quid-
piam committitur; sic enim coacervatione vitium intenditur,
vel quando fur domum effringens domesticos trucidat. 2. fre-
quentia. Crescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ.

Quare, licet vitium ratione substantiæ suæ non sit tantis
pœnis dignum; attamen, cum nimium evadit frequens, fit
quoq; grandius, ut pœna major debeat. Hinc ergò facile est
colligere; furium suspendia justitiæ non repugnare. Etsi enim
qualitatem facti si respicias, capitis supplicium mereri haud vi-
deatur: attamen, quod qualitati deest, hoc supplet quantitas, ut,
si non, quatenus furtum ultimo supplicio sit dignum; dignum
tamen, quā frequenti usu vel in singulati quāpiam persona, vel
toto Reipubl. cœtu abominandum, & capitale redditur.

VII. Pœna est, qua propter malefactum cōmissum severitas judicij bonis
fortunæ, corporis, aut famæ aliquid subtrahit; ut justitiæ magistratus
malefacto læsæ satis fiat, & alij hinc moti à consimilibus facinoribus sibi
temperant. Triplex hinc pœna conspicitur. 1. Exercetur in bonis fortu-
næ, quando judicij pecuniā numeratā pro facinore satis fit. 2. In bonis fa-
mæ; quæ & ipsæ suis distinguuntur gradibus, ut sunt, infamia, relegatio,
dignitatum amissio, &c. 3. Corporis; quæ vel capitalis est, eaq; varia, su-
spensio, decollatio, suffocatio, combustio &c. vel non-capitalis, qualibus
afficiuntur, qui carcere conclusi tenentur, virgis publicè cæduntur, in In-
sulas, aut exilium mittuntur, laboribus gravioribus destinantur; &c. Pœ-
na pecuniaria citra omne dubium mitior est eā quæ corpus, famamq; af-
ficit. Quæ famam concernit; levior utiq; censetur gravioribus corporis
pœnis; siquidem hæc plærumq; imò nunquam non cum famæ dispendio
est conjuncta.

VIII. Jam v. uti factis pœnā dignis tria lædi possunt, ac solent; bona cor-
poris, famæ, fortunæ; sic nō statim similis respōdebit pœna; ut, qui in for-
tunæ bonis deliquit, iisdem delictū expiet; qui famā attrectavit, infamię
pœna rursus puniatur; quando quidē facinora in se graviora varijs circū-
stantijs mitigantur; & leviora circumstantiarum varietate aggravantur;
quas diligenter inspicere, & cautè judicare judicem decet. Hæc γενικῶς
pro instituti nostri ratione. Specialia Juris conditoribus, & Interpreti-
bus expendenda linquimus. F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





ATIONUM
CARUM
IX.

De
TITIA.

eburgensi Academia
posita

ESIDE
A O HUNNIO
Col. Phil. Adjuncto,

NDENTE
RIDERICO ROSA
oldino.

TEBERGÆ
ormani, Anno 1611.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
1 2 3 4 5 6 7 8

